

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

CXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

quam locum de statu hominis post mortem simplici rectius interpretetur celeberrimus Theologus & Præceptor meus venerandus, D. Seb. Schmidius, in absolutissimo in Hiobum opere. Denique IX. quâ ratione ceteros inimicos suos Christus, utpote Satanam & mundum, sublaturus est, eâ quoque finem faciet peccati. At illos non quoad se, sed quantum ad vim salvatis nocendi, aut suæ etiam majestati impunè insultandi, extinguet. Hoc enim est: *pedibus suis subjicere*. I. Corinth. XV. 25. Ergo & peccatum eadem prorsus ratione.

CXI. Ad argumentum sextum respondemus, I. concedendo, damnatos non appetere fornicationem, aut alia, quæ cum voluptate conjuncta sunt, peccata: ex quo tamen nõ sequitur: ergo nec cætera, quæ libidinem aut voluptatem sibi connexam nõ habent, utpote invidiam, iracundiam, impatientiam & alia. Quam in rem ipsum paragrapho antecedente Bonaventuram, nobis consentientem, allegavimus. II. Si vel maximè totum concederetur argumentum: ergo damnati nulla appetunt peccata, quia norunt, brevem eorundem voluptatem æternis pœnis compensari; nihilominus tamen ex hoc ipso sequeretur, actu peccare damnatos, quia abstinere à vitiis, solummodo ob pœnæ metum, ætæuale peccatum est, cum supponat propositum peccandi, si abesset suppliciorum formidandorum occasio. III. Delectatio duplex est: vel animi vel corporis. Hanc fatemur in damnatos non cadere, quippe cui è diametro adversi sunt infernales cruciatus. Illam verò, quamquam non veram, tamen apparentem in invidiâ, in odio, in ultione sui, quærere damnatos, absurdum non est, quippe ad quam pœnarum vehementiâ potius sollicitantur. IV. Quamquam hac ipsâ dementiâ, quâ animi sui delectationem affectant, supplicia potius sibi cumulant & augent. *Cæca enim malitia est & incircumspecta animi pravitas*, scribit S. Athanasius, Sermon. in Pass. & Cruc. Domini, p. 432. *ut quæ non intelligat, ipsam suas contra se manus acuere; veluti, si quis serpentem manu apprehendat, ut alteri injiciat, quod fieri non potest, quin ipse prius mordeatur: aut si quis ignem manu sumat, ut hostem ladat, interim non animadvertat, seipsum comburi. Ita ipsa malitia contra sui usurpatores militat, eosque, qui ipsam tenent, magis, quam illos, in quos noxam parant, consauciat.* Neque V. mirum hoc est, cum in



tenebris infernalibus ita damnatorum intellectus obscuretur & lædatur, ut officio suo rectè & sine intervallis fungi non possit, sed mens pœnarum atrocitate turbata eà in re delectationem & refrigerium capret, quæ suppliciorum potius augmenta conciliat & adfert. VI. Damnatorum cruciatus & dolores longè maximos fore & tantum non intolerabiles, haud diffitemur, sed eos tamen ita comparatos esse, ut meditationi nulli aut intellectu exercitio locum relinquunt, prorsus negamus, quam in rem epulonis exemplum illustri nobis documento est, ne de aliis dicamus argumentis, quæ suo loco adducemus. Denique VII. qui in præsentis seculo, ob scortandi aut furandi studium virgis cæsi aut molesto & diuturno carceri inclusi fuere; nec non & illi, qui in operis publicis à præsentis lictore perpetuis flagris à peccandi licentiâ abstrahuntur; ad palatum tamen suum subinde redeunt, nec veteris facile artificii, odii præterea & invidiâ turgidi, obliviscuntur: Quid igitur impedit, quo minus & in infernali ergastulo utrumque simul consistere possit?

CXII. Ad argumentum septimum respondemus, I. Distinguendo inter finem infligendæ pœnæ primarium & secundarium. Primarius pœnarum finis non est, delictis terminum, modumque statuere, ne imposterum rempublic. turbent & publicæ honestati repagula objiciant: sed justitiæ satisfacere & lædendi per peccata petulantiam, quod malum est, malo æquali alio, nempe supplicio compensare. Atque hunc finem sufficit assequi iudicem: sicut & DEUS eundem assequitur in damnatis, quantumlibet illi peccent. Peccatum enim & pœna peccati simul possunt consistere. At secundarius pœnarum finis est, emendare peccantem, aliosque detertere à peccatis, id est, peccandi, quantum fieri potest, finem facere, iudici cumprimis temporali, quin & DEO, in præsentis seculo, ubi per gratiam peccata deponi possunt, intentus: sed qui neque simpliciter ad *re d'ency* pœnarum necessarius est, neque etiam in inferno, ubi peccata exuere non licet, & gratiæ locus nullus est, obtineri potest. Edidit equidem anno hujus seculi XLIX. Trajecti ad Rhenum, anonymus quidam, sub literis L. V. libellum, cui titulus est: Specimen refutationis Libri Crellii de Satisfactione Christi; Johanni Jacobo du Bois, Ultrajectinæ Gallo-  
Bel-